

enim de quo hic agitur imputari non potest agenti; censetur advenisse per accidens. *Ita generaliter theologi.* Vide *Vogler*, n. 93.

Hinc 1^o ut quis damnum reparare teneatur, non sufficit quod illius fuerit causa efficax, sed insuper requiritur ut voluntarie illud intulerit. 2^o Omissio diligentiae debitae obligationem damnum reparandi non imponit nisi fuerit voluntaria; sine voluntate enim nullum est peccatum. 3^o Hoc admitti non debet axioma: *Suum cuique factum nocet*, nisi factum illud, quatenus est damnificativum, a libera voluntate procedat. 4^o Non magis valet alterum istud adagium: *Melior est conditio innocentis*, nam qui damnum infert, est etiam innocens, siquidem, ex hypothesi, non peccavit.

Attamen, possunt esse leges positivae quae statuunt restituendum esse, etiamsi non adfuerit culpa theologica, sed tantum culpa juridica, et quibus omnes in conscientia obedire teneantur. Leges enim hujusmodi justae sunt; per se et ante omnem eventum omnes aequaliter obligant, bonum promovent, et non falsa praesumptione facti, sed motivis extrinsecis boni publici nituntur.

Leges autem illae non obligant ante sententiam iudicis; id enim non est necessarium ad scopum intentum, nimis durum foret, verbis legis non exigitur, et revera non requiritur neque a theologis, neque a jurisperitis. Vide *Lessium*, l. 2, cap. 7, n. 50; *card. de Lugo*, dist. 8, n. 49; *Vogler*, n. 93, etc.

Attamen si ageretur de re clara, et si damnificatus certo recurrere vellet ad iudicem et jus suum evidens prosequeretur, non expectanda esset, saltem ex charitate, sententia iudicis; sed, illo petente, restituendum foret.

QUAESTIO SECUNDA.

Quinam ad restitutionem teneantur, et quid ac quantum restituere debeant?

Triplex est radix restitutionis, ex dictis, nempe res aliena detenta, damnum injuste illatum et violatio con-

tractus aut quasi-contractus. De obligatione restituendi, ex contractu aut quasi-contractu orienti, in speciali de *Contractibus* Tractatu agemus; nobis igitur nunc dicendum est de iis qui ad restitutionem tenentur, sive ratione rei alienae detentae, sive ratione damni injuste illati. Hanc quaestionem in tribus solvemus articulis: 1^{us} erit de possessione rei alienae, 2^{us} de injusto damnificatore; in 3^o examinabimus quantum singuli damnificantes restituere debeant, et in quo ordine.

ARTICULUS PRIMUS.

DE POSSESSORE REI ALIENAE.

Possessio definitur in novo Codice, articulo 2228: *La détention ou la jouissance d'une chose ou d'un droit que nous tenons ou que nous exerçons par nous-mêmes, ou par un autre, qui la tient ou l'exerce en notre nom.* Hanc definitionem in propria Codicis lingua referendam esse duximus, quia eam in linguam latinam accurate vertere sat difficile nobis videtur.

Possessor autem rei alienae potest esse vel bonae, vel malae, vel dubiae fidei. Est bonae fidei, si post adhibitam sufficientem diligentiam, prudenter judicat et credit rem esse suam; est malae fidei, quando advertit et advertere potuit rem quam detinet esse alienam; est autem dubiae fidei, si quaedam ipsi adsint rationes dubitandi an res sit sua vel aliena. De his in tribus paragraphis dicemus.

§ I.— De possessore bonae fidei.

Certum est 1^o possessorem bonae fidei non peccare quamdiu bona ipsius fides perseverat, atque sine ullo peccato de re aliena, sicut de sua disponere posse, eam donando, vendendo, etc.

Certum est 2^o eum rem alienam reddere teneri statim ac advertit non esse suam, nisi tempus ad legitime praescribendum sit completum, et aliae inveniantur conditiones

ad hoc requisitæ. Circa hanc tamen materiam plures existunt difficultates : itaque,

Quæritur 1° an possessor bonæ fidei fructus quos, durante bona fide, ex re aliena percepit, restituere teneatur.

Notandum est quadruplicis generis esse fructus, videlicet naturales, industriales, mixtos et civiles. Fructus naturales sunt illi qui ab ipsa re sponte producuntur, ut fenum in pratis, lignum in sylvis, fructus in arboribus, etc. Fructus industriales illi sunt qui ex sola possessoris industria proveniunt, et quorum res aliena est solummodo instrumentum, ut lucrum ex pecuniâ. Fructus mixti sunt illi qui partim ex re possessa, partim ex possessoris industria proveniunt, ut segetes. Fructus civiles appellantur illi qui a lege inter fructus reputantur, quamvis revera fructus proprie dicti non sint : tale est pretium locationis alicujus rei, v. g., equi, domus, etc. *His prænotatis,*

R. 1° possessorem bonæ fidei non teneri fructus industriales reddere; nam fructus ad eum pertinent ad quem tota causa fructifera pertinet : atqui tota causa fructuum mere industrialium ad possessorem pertinet, siquidem ex sola ipsius industria proveniunt. Unde qui ex aliena pecuniâ negotiando ingentes comparavit divitias, nihil ex his domino pecuniæ debet.

R. 2°. Possessor bonæ fidei debet, jure naturali, omnes fructus, sive naturales, sive civiles, sive mixtos, in quantum ii sunt naturales, sed deducendo suas expensas, restituere; jure naturali enim ad eum pertinent fructus ad quem causa fructifera pertinet : atqui causa hujusmodi fructuum ad dominum rei pertinet, siquidem res ipsa eos producit : ergo. Inde prodiit axioma : *Res fructificat domino*. Si fructus in bona fide consumpti fuissent, ad nihil teneretur possessor.

In novo jure, omnes prædicti fructus possessori bonæ fidei assignantur, *Cod. civ. art. 549*, et communius dicunt auctores hanc dispositionem valere pro foro interno, quia lex dominium hujusmodi fructuum ad possessorem, intuitu pacis et securitatis familiarum, transfert. Sed, ex art. 550, possessor non reputatur bonæ fidei, nisi rem

tanquam proprietarius possideat, et ex titulo qui de natura sua dominium transmittere valet.

Possessor bonæ fidei nihil repetere potest pro impensis *ordinariis*, seu usufructuariis, quæ ipsa fruitione compensantur. Dominus valorem impensarum *necessariorum* cuiusque possessori refundere debet, ne ex alieno ditetur. Sub jure romano, hujusmodi impensæ compensabantur per fructus perceptos. *Delvincourt* putat id sub jure nostro non esse admittendum, et citat art. *Cod.* 862. Impensas *utiles* dominus compensare debet, solvendo, pro suo arbitrio, vel laboris pretium, vel rei valoris augmentum. Tandem possessor nihil exigere potest pro impensis *voluptuariis*, eas vero auferre potest, modo rem in eo statu in quo eam accepit relinquat; earum valorem etiam repetere potest a venditore malæ fidei, ex art. 1635. Si eas auferre non possit, et dominus ditior evadat, ille ex æquitate eas refundere debet.

Si quas fecerit expensas, sive necessarias, sive utiles, proprietarius tenebitur aut pretium materiæ et laboris seu artis, aut augmentum quod inde res suscepit solvere. *Cod. civ. art. 555*.

Quæritur 2° quid possessor bonæ fidei agere debeat, si rem non habeat quando illius dominum agnoscit.

R. Vel rem consumpsit, vel perit, vel illam donavit, vel vendidit.

1° Si illam consumpsit, vel inde rebus suis pepercit, vel non. Si prius, tantum restituere tenetur quantum rebus suis pepercit; si enim rem alienam adhuc possideret, eam reddere teneretur : ergo id quod eam representat reddere debet. Si rebus suis non pepercerit, ad nihil tenetur, cum rem alienam non habeat, nec eam consumendo injuriam domino fecerit.

2° Si res perierit, ad nihil tenetur, propter rationes expositas.

3° Si donata fuerit, vel existit, vel non : si existat, donatarius qui tunc eam habet, eam domino reddere tenetur, quia dominium in illam non acquisivit. Si non existat, aut donatarius eam consumendo rebus suis pepercit, et id ex

quo ditior factus est restituere debet; aut rebus suis non pepercit, et ad nihil tenetur, ob rationes superius expositas. Si ipse donator rebus propriis, rem alienam donando, pepercerit, id est, si quid aliud certo dedisset, id proprietario dare debet, quia ex hoc factus est ditior.

4^o Si res a possessore bonæ fidei vendita fuerit, rursus vel existit, vel periit. Si existat, emptor eam reddere tenetur, juxta axioma: *Res clamat domino*, et recursus in venditorem habebit ut pecuniam suam recuperet. Sed juxta jus novum, si emptor rem illam in foro publico vel ab homine res hujusmodi publice vendente emerit, eam domino reddere non tenebitur, nisi pretium quo eam emit prius ab illo sibi solutum fuerit. *Cod. civ. art. 2280*. Dominus autem pretium istud a venditore repetere poterit.

Si non existat, nec ex toto, nec ex parte, neque etiam æquivalenter, ad nihil tenetur emptor, *ut patet*. Ad quid vero tenebitur possessor bonæ fidei, qui eam vendidit et pretium ejus accepit?

Nonnulli, inter quos citantur *Wigger* et *Decoq*, volunt illum ad nihil teneri: nam, inquiunt, pecunia quam accepit non præcise rem ipsam repræsentat, sed obligationem eam tradendi et contra evictionem defendendi: porro rem tradidit et emptor non fuit evictus: ergo pretium quod accepit retinere potest.

Alii vero, quos sequitur *Sylvius*, in 2 2, q. 62, art. 6, *Quæritur 2*, contendunt pretium reddendum esse domino vel emptori, si ab emptore rem suam dominus recuperet, modo pretium illud in bona fide non fuerit consumptum. Si enim res adhuc existeret, reddenda esset absque pretio: ergo reddendum est illud quod eam repræsentat, in quantum tamen venditor ex eo ditior factus est; alioquin ex alieno vere ditesceret, siquidem dominium rei non transulit, nec ideo dominium pretii acquirere potuit; emptor enim non intendebat dominium in pecuniam quam solvebat transferre, nisi in quantum dominium in rem sibi transmitteretur. Ergo.

At illa ratio, ni fallamur, multo magis probat pecuniam reddendam esse emptori in cujus manibus res periit: nam,

juxta præfatum ratiocinium, emptor pecuniam suam non tradidit, nisi sub conditione se dominium in rem acquiriturum: porro dominium in rem non acquisit: ergo. Unde emptor teneretur reddere domino id quod adhuc haberet, et venditor reddere emptori pretium, in quantum ex eo ditior factus est. Et si venditor ille rem prius emisset a fure, id non impediret quin restituere deberet, quia non posset damnum sibi sic a fure illatum, per damnum a se ipso vero domino inferendum compensare.

Si vero res non perierit, et emptor non appareat, aut eam reddere nolit, aut, si eam consumpserit, et inde ditior factus, lucrum quod fecit et quod non oritur ex sola ejus industria, restituere renuat, nec ad id cogi possit, venditor dare debet domino pretium quod percepit, et ex quo ditior factus est, quia dominus habet jus ne re sua privetur: ergo habet jus in valorem quem venditor sine titulo possidet, etiamsi rem titulo oneroso ipse obtinisset, juxta multos theologos, contra multos alios. Vide *Vogler*, n. 96, et *Billuart*.

Advertendum est hos casus sæpe difficile et non sine magna attentione solvi posse, quia fieri potest ut adsint plures possessores successivi, alii bonæ, alii malæ fidei, alii venditores aut emptores, alii donatores aut donatarii. Principia pro his variis posita tam sedulo et diligenter quam possibile est perpendenda et applicanda sunt.

Quæritur 3^o utrum possessor bonæ fidei, qui rem alienam dono accepit vel mediocri pretio comparavit, et eam summo vendidit pretio, auctarium pretii domino reddere teneatur.

R. Multi negant, alii vero multi affirmant: sententia affirmans probabilior nobis videtur; auctarium enim istud non ex sola industria, sed etiam, et sæpe præcipue, ex re ipsa procedit: v. g., qui equum quinquaginta aureis emit, et in alio loco ductum centum aureis vendit, auctarium habere non potest ut merum industriæ suæ fructum; sua quidem industria equum in alium locum duxit, sed ibi ductus, talis per se erat valoris: id solum ergo retinere potest quod industriæ suæ respondet, id est, expensas quas

fecit, et pretium labori suo proportionatum, juxta viri prudentis judicium.

Queritur 4^o utrum qui rem furtivam in bona fide emit, possit, ubi advertit illam fuisse ablatam, eam furi remittere ut pecuniam suam recuperet, an vero eam domino reddere teneatur.

R. 1^o. Si fur rem domino sit restitutus, aut dominus eam e manibus furis facile eripere possit, emptor illam furi remittere potest ut pecuniam suam recuperet; dominus enim rationabiliter invitus esse non potest, siquidem damnum inde non patitur; hinc axioma: *Quod mihi prodest et tibi non obest, teneris facere.*

R. 2^o. Si emptor rem in foro publico, vel ab homine res hujusmodi publice vendente emerit, eam domino reddere non tenetur, nisi pretio ejus sibi soluto, ut jam exposuimus. *Cod. civ. art. 2280.* Dici autem non potest hanc legem esse injustam: favet quippe commercio, bono publico, paci et tranquillitati possessionum utilissima est.

R. 3^o. Si emptor rem vili pretio emisset, sciens esse furtivam, cum expressa voluntate eam domino reddendi, dominus teneretur hoc vile pretium illi refundere, et insuper expensas quas in re conservanda fecisset: in illo enim casu rem alienam quasi ex commissione utiliter gessisset: nemo autem propriis expensis rem alterius conservare tenetur: ergo. Si eam maximo pretio redemisset, dominus non teneretur totum pretium remittere, nam tunc emptor non utiliter rem alterius gessisset, sed potius onus illi imposuisset. *Ita Billuart et P. Antoine*, qui hanc sententiam tradit ut communem. Aliquam tamen partem pretii, secundum judicium et aestimationem viri prudentis, emptori concedere, aut rem illi relinquere deberet; iniquum enim foret emptorem tantum pati damnum propter bonam intentionem suam.

R. 4^o. Si fur non compareat, aut si emptor ab illo pecuniam suam recuperare nequeat, rem alteri vendere non potest, nec eam in usus suos convertere ut se indemnem conservet; dominus enim jus in illam habet, et jure isto privari non potest absque injustitia. Unde quamvis pre-

tium a se solutum amittat, rem domino restituere debet: pariter si dominus rem suam repetat, emptor eam furi reddere non debet; quia dominus, vi juris quo privari nequit, eam statim occupare potest.

Variae responsiones istae ab omnibus communiter admittuntur ut certae. Sed controvertitur inter theologos, utrum qui bona fide rem furtivam emit extra forum, eam domino etiam non petenti reddere teneatur cum periculo amittendi pecuniam quam furi tradidit; an vero possit eam furi remittere, ut pecuniam suam obtineat. *Sylvius, Billuart*, et communis theologi, contra non paucos, docent emptorem teneri rem domino reddere.

1^o Quia res semper clamat domino et ipsi obstricta est, illi ergo semper reddi debet, ac proinde emptor eam furi remittere non potest; 2^o patroni contrariae sententiae fatentur rem domino, eam juridice vel privatim repetenti, reddendam esse, et in eo casu furi remitti non posse ad recuperandam pecuniam injuste solutam: at petitio jus in rem non dat, sed illud supponit; 3^o si fur non appareat aut pecuniam reddere nolit, conveniunt adversarii emptorem rem aliis vendere non posse, nec in proprios usus convertere ut se servet indemnem, quia dominus habet in eam jus quo sine injustitia privari non potest: attamen jure illo privaretur, si res furi daretur. Ergo.

Et revera non licet, per actum positivum et injustum, damnum alicui inferre ad vitandum damnum ex altera parte, v. g., ex malitia furis, imminens.

§ II. — De possessore malae fidei.

Possessor malae fidei ad id ratione rei acceptae tenetur ad quod possessor bonae fidei obligatur, et haec obligatio latius etiam extenditur, ut patet. Unde rem ipsam restituere debet, si existat; aut ejus valorem, si eam vendiderit, consumpserit vel donaverit: tenetur insuper omnes restituere fructus, sive naturales, sive civiles, sive mixtos, quatenus sunt naturales, quia res fructificat domino. *Cod. civ. art. 549.* Fructus autem mere industriales restituere non tenetur, quia causa illorum fructifera ad ipsum per-

tinet, licet malæ sit fidei. Hinc thesaurarii, quæstores, receptores, telonarii et alii similes, qui ex pecuniis alienis sibi commissis vel apud se depositis lucrum faciunt negotiando, cambiando, ludendo, etc., hujusmodi lucrum restituere non tenentur: peccant tamen contra fidelitatem et obedientiam, si hæc invito domino faciant; sed non contra justitiam commutativam.

Possessor malæ fidei tenetur insuper quodcumque damnum emergens et lucrum cessans reparare; justitiæ enim commutativæ perfectæ satisfacere debet, ac proinde efficere ut proprietarius in eodem statu reponatur in quo esset, si res ipsius ablata non fuisset: porro hæc æqualitas restitui non potest, nisi omne damnum reparetur: ergo. Dispositio hæc quam ipsa ratio dictat, statuitur in Codice civili, articulo 555. Itaque possessor malæ fidei tenetur restituere omnes fructus quos dominus percepisset, quamvis ipse eos non perceperit, ut omne lucrum quod dominus fecisset, etsi ipse nullum fecerit. Non autem teneretur de lucris quæ alia persona fecisset, sed non dominus.

Si vero expensas ad rei conservationem necessarias vel utiles fecerit, dominus jure naturali eas, juxta viri prudentis æstimationem, solvere tenetur; nullum quippe habet titulum ad eas gratuito accipiendas aut retinendas.

Si dictus possessor plantationes vel constructiones in alieno fundo fecerit, dominus exigere poterit ut eas propriis expensis destruat, nisi eas servare consentiat; quo in casu valorem illarum solvere tenebitur, secundum materiam ac laboris æstimationem. *Cod. civ. art. 555.*

Quæritur 1° an possessor malæ fidei restituere teneatur valorem rei furatæ, quæ apud ipsum periit et similiter apud dominum periisset.

Priusquam responsio detur, ea notanda sunt quæ apud omnes habentur ut certa.

1° *Certum est* possessorem malæ fidei ad restitutionem teneri, si res apud dominum injustitia alicujus tertii periisset, et ipse eam injuste destruxerit, nam tertius obligationem restituendi contraxisset: ergo qui eum prævenit eandem obligationem contrahit.

2° *Certum est* eum qui res alienas ab imminente excidio servavit, v. g., equum ab incendio, merces a naufragio, ovem a faucibus lupi, etc., et deinde injuste apud se detinuit, eas postea restituere teneri, etiamsi casu fortuito perierint; dominus enim jus habet in res suas in quocumque statu sint positæ; jure autem illo sine injustitia privari non potest: qui tamen res ita servatas cum animo eas retinendi asportavit, dominum jure suo stricto, saltem aliquo tempore, privavit, sicque fuit possessor malæ fidei: ergo sortem rei in se suscepit, ac proinde illam aut illius valorem representare tenetur.

3° Velut communius et probabilius admittimus illum ad restitutionem non teneri, qui subripuit rem certo apud dominum perituram, quæ eodem casu apud ipsum periit; tum enim furatur rem quæ nullius est valoris respectu domini nec apud se valorem cœpit habere, cum eodem casu moraliter periisse supponatur: ergo nullam injuriam de facto intulit domino.

Hinc 1° qui furatur equum ita morbo laborantem ut manifeste sit periturus, si revera pereat; qui subripit acervum tritici ab hostibus certo auferendum, si reipsa ab iisdem eodem tempore auferatur, ad nihil tenetur.

Hinc 2° si probabiliter tantum res peritura fuisset, major vel minor facienda esset restitutio, habita ratione periculi, secundum determinationem viri prudentis.

Nunc petitur ad quid teneatur ille qui furatur rem quæ non apparebat peritura, quæ tamen apud ipsum perit eodem casu quo certe apud dominum periisset.

Circa hanc difficultatem acriter inter se disputant theologo; alii enim affirmant, alii negant prædictum furem ad pretium rei restituendum teneri.

Si res vitio intrinseco tempore ablationis existenti apud furem pereat, et similiter apud dominum certo periisset, fur ad restitutionem teneri non videtur; nullum enim de facto intulit damnum; revera, si res venderetur, non emptori in eo casu, sed venditori periret, quia nullius fuisse valoris tempore contractus merito judicaretur: ergo,

a pari, nec res furata tempore ablationis : secus, si periret casu fortuito. Vide Cod. civ. art. 1657.

Quocumque alio modo res furata perierit, pretium ejus refundere debet fur. *Cod. civ. art. 1302*. Si tamen eodem casu et eodem tempore apud dominum periisset, fur pretium ejus domino solvere non teneretur ante sententiam judicis, quia realiter damnum ei non intulisset. Sic plures inter quos *Duranton, DD. Gousset, etc.*

Quæritur 2º ad quid teneatur fur si res varii fuit valoris pro vario tempore quo eam possedit, v. g. : pullus crevit, factus est equus generosus, postea decrevit, et factus est equus contemnendus; frumentum cujus pretium crevit et deinde decrevit, etc.

Certum est 1º rem apud furem deteriorem factam, restituendam esse secundum valorem quem habebat tempore quo fuit ablata, nisi eodem modo deterior facta fuisset apud dominum. Hæc responsio ex præcedenti sequitur.

Certum est 2º rem apud injustum possessorem auctam sive intrinsece, sive extrinsece, domino restituendam esse cum omnibus incrementis suis hic et nunc existentibus; res enim in quocumque sit statu semper ad dominum pertinet.

3º Si dominus rem vendidisset aut consumpsisset tempore quo sibi ablata est, et fur eodem tempore eam ipse vendiderit vel consumpsisset, tenetur duntaxat restituere valorem quem res habebat tempore quo eam furatus est; non aliud enim damnum domino intulit.

4º Si res apud furem creverit ac postea decreverit, et constet dominum illam tempore majoris pretii venditum fuisse, fur ad totum majus pretium reddendum tenetur; totum quippe pretium istud dominus obtinisset rem vendendo. Ergo. Si tempore majoris pretii dominus eam consumpsisset, et possessor eam consumpsisset, ad solvendum incrementum tenetur, quia rem consumendo contrahit obligationem personalem totum pretium ejus solvendi.

Tota igitur difficultas est, an possessor malæ fidei te-

neatur restituere rem secundum majorem valorem quem apud se habuit, etiamsi constet dominum illam neque venditum, neque consumptum, sed usque ad tempus minoris pretii reservatum fuisse.

Circa hanc difficultatem quinque aut sex numerantur theologorum opiniones, quæ non parum intricatæ sunt. Certum est furem de summo valore teneri, si alias ditesceret aut si dominus inde damnum pateretur : at si neutrum existeret, non videtur cur de summo valore teneretur. Ipsius enim obligatio est realis, id est, res ipsa debetur, non ejus pretium : ergo sufficit ut res reddatur, nec aliqua debetur compensatio nisi ratione fructuum perceptorum aut damni injuste illati.

Quæritur 3º utrum possessor malæ fidei deducere et retinere possit expensas quas in re conservanda aut melioranda fecit.

R. 1º. Si expensæ a re aliena absque detrimento separari possint, omnes fatentur possessorem malæ fidei eas auferre posse. Tabellæ, v. g., aut specula quæ domus alienæ parietibus fuerunt apposita, non ideo cessant esse apponentis, etiamsi hujus domus possessor malæ fidei fuerit.

R. 2º. Satis conveniunt doctores dominum rei aliquid ex naturali æquitate possessori malæ fidei solvere teneri pro expensis necessariis vel utilibus in re servanda factis quas ipse facere debuisset : si enim jus habet ut rem suam obtineat integram, jus non habet ut ex detrimento furis ditior existat. Ergo.

R. 3º. Si expensæ etiam necessariae per justam judicis sententiam domino in vindictam delicti assignentur, nihil possessor malæ fidei secreto sibi retinere potest; nam sententia justa in foro conscientiae et coram Deo obligat : porro hæc sententia dici non potest injusta : ergo.

An autem, seclusa judicis sententia, possessor malæ fidei possit valorem expensarum suarum ex pretio, quod restituere debet, secreto deducere, divisi sunt theologii. *Lessius, l. 2, cap. 12, n. 101; card. de Lugo, d. 17, n. 16; Pontas, vº Rest., cas. 188; Billuart et communius alii affirmant; cum quibus.*

R. 4°. Probabilius est, attento jure naturali, possessorem malæ fidei valorem expensarum necessariarum vel utilium quas in re servanda aut melioranda fecit, per seipsum secreto deducere posse; nam ex commissione domini rationabiliter præsumpta egisse censetur, quia rationabiliter præsumitur dominum velle ut fur, ex hypothesi quod non restituat, rem conservet integram, et quantum possibile est eam augeat.

Præterea, si possessor malæ fidei pretium dictarum expensarum deducere non posset, plura inde sequerentur absurda, v. g. : si quis furatus esset ovem quæ, pluribus annis apud se detenta, plures alias oves dedisset, et istæ iterum agnos produxissent; aut gallinam quæ ova edidisset et multorum facta esset mater pullorum qui alios multos dedissent, etc., post aliquot annos plura forsitan francorum millia restituere teneretur pro una ove aut una gallina furata : illud autem absurdum est : ergo.

Quæritur 4° utrum milites retinere possint bona quæ in bello obtinuerunt, vel in urbis deprædatione diripuerunt.

Quæstio hæc in praxi frequenter olim occurrit solvenda; innumeri enim exstabant in Gallia milites qui hujusmodi bona diripuerant, vel damna ejusdem generis intulerant : nunc quidem rarius inveniuntur. Cum autem quæstio semper sit gravis momenti, ad eam elucidandam

R. 1° : Non magis militibus quam aliis hominibus furari licet : *Contenti estote stipendiis vestris*, inquit S. Joannes, Luc. III, 14 : id ergo omne restituere debent quod propria auctoritate, sive apud suos concives, sive apud hostes, sibi arrogaverunt, sicut et ea tenentur reparare damna quæ sic intulerunt, neque eos excusaret ducum auctoritas vel dissimulatio, si evidenter injusta esset. Ad restitutionem tamen obligati non judicantur, si, deficiente aut diminuto stipendio, ea tantum sumpserint vel sibi dari jusserint, quæ ad victum et vestitum strictè necessaria erant : nam tunc domini rationabiliter invitè esse non possunt. Duces autem qui stipendium retinuerunt, vel illius solutionem injuste distulerunt, omnia fe-

nentur reparare damna inde militibus provenientia, vel etiam privatis qui hac occasione spoliantur.

R. 2°. In bello justo, princeps jure gentium acquirit dominium omnium honorum quæ vi prælii contra hostes occupantur aut capiuntur, ut sunt urbes, castra aliaque bona immobilia ad rempublicam pertinentia, qualia sunt pariter bona mobilia militum et exercitus hostium; hæc enim bona in bello justo ab hostibus merito auferuntur, ut apud theologos et eos qui de publico jure tractant certe constat : ad principem igitur victorem pertinent; vel enim ad principem victorem pertinent, vel ad milites ejus : sed milites omnem potestatem suam tenent a principe : nihil ergo de bonis hostium sibi retinere possunt, nisi ex consensu principis saltem rationabiliter præsumpto. Ita *Pothier, Traité du Droit de propriété*, 1 parte, cap. 2, art. 1, parag. 2.

Sed aliquando, imo ordinarie dux exercitus, de consensu regis saltem præsumpto, partem honorum apud hostes captorum militibus suis occupandam expresse vel tacite relinquit, v. g., occisorum spolia : tunc milites neutiquam peccant hæc bona prout sibi occurrunt capiendo. At contra justitiam peccarent, si alia bona non ita sibi concessa diriperent, qualia sunt arma aliaque belli instrumenta, annonæ, pecunia in ærariis publicis contenta, vel ad publicum ærarium pertinens, etc.

R. 3°. Innocentes, qui sunt pars reipublicæ hostilis, bonis suis juste spoliari possunt, si pacis vel satisfactionis necessitas id exigat; nam princeps victor totum acquirit jus quod habet hostilis respublica quam vincit; at respublica jus habet de bonis subditorum pro necessitate publica disponendi : ergo pariter, etc. Sic admittit consuetudo ubique jure gentium introducta, licet christianæ charitati parum congruens videatur.

Hinc, quando princeps, vel vices ejus in exercitu gerens, urbem apud hostes captam tradit in direptionem, milites contra justitiam non peccant cives illius urbis spoliando. Hospites autem et extraneos spoliare non debent, nisi forte hostibus faverent, ut si arma bellica et annonas

ad ipsos deferrent; similiter ecclesias spoliare non licet, quia illarum bona ad rempublicam non pertinent, sed Deo sunt dicata, proindeque sacrilegii et injustitiæ reforent, qui ea diriperent. Attamen si hostes ecclesiis uterentur ad se tegendos, ad bellum acrius sustinendum aut continuandum, illas evertere ac etiam incendere et destruere liceret. Ita pro diversis his casibus *Sylvius*, in 2 2, q. 40, *Quæritur* 6; *Collator Andeg.*, *États*, t. 3, p. 56; *Billuart*, etc.

Item contra justitiam peccare non judicantur qui legitime missi vel approbati, excursions contra populos reipublicæ hostilis faciunt, eosque bonis temporalibus quantum possunt exspoliant; tales sunt vulgo *les partisans* in terra, *les pirates* in mari. Qui tamen auctoritate sua hæc etiam in tempore belli justi facerent, ad restitutionem tenerentur; a solo enim principe, qui juste bellum indicit, derivatur potestas hostibus directe nocendi. Ergo.

Si forte bellum, ut pluries accidit, evidenter injustum esset, quicumque ad illud positive concurrunt, omnia diversorum generum damna quæ inde provenirent reparare tenentur, et quidem sæpius in solidum, secundum quod infra in quæst. 2, art. 3, dicemus. *A fortiori* milites qui in hujusmodi bello, sive jussu, sive absque jussu ducum, aliqua diripuerunt bona, ea ex integro restituere debent ipsismet proprietariis, si cognoscantur, vel pauperibus, si proprietarii ignorentur aut si ad ipsos restitutio transmitti nequeat. At in illo casu, multum saltem conveniens foret ut restitutio ista ad episcopos, parochos aut magistratus locorum, in quibus damna fuerunt illata, transmitteretur; ac pauperibus eorundem locorum distribueretur; merito enim judicatur talem esse voluntatem eorum qui damna hæc passi sunt.

Vi contractuum pacificationis, et ne pax publica turberetur, quicumque in Gallia pro diversis guberniis etiam injustis olim militaverunt ipsique servierunt, minime in praxi inquietantur, nec damna inde secuta reparare jubentur, nisi ex propria auctoritate ea intulerint, vel diutiores ex iis facti sint.

§ III. — De possessore dubiæ fidei.

Duplici modo aliquis possessor dubiæ fidei esse potest, scilicet 1º si rem aliquam possidere incipiat, dubitans an revera sint sua nec ne; 2º si ipsi rem aliquam ut suam bona fide possidenti exsurgat dubium de legitimo titulo.

1º Si rem, quam tenet cum dubia fide, tanquam verus dominus possidere incipiat, et ut suam retineat, graviter peccat; evidenti namque periculo rem alienam possidendi sese exponit. Tunc autem inquirere tenetur cum majori vel minori diligentia, prout res majoris vel minoris est pretii, quisnam verus sit ejus dominus. Si comperiat et multo probabilius judicet rem alterius esse, eam illi reddere debet, quia rem alienam retinere non licet: si vero, adhibita sufficienti diligentia, multo probabilius judicet rem esse suam, tuto eam retinere potest. Ita *Collet* et communiter alii.

Si denique, post sufficientem inquisitionem, dubium remaneat, rem inter se et alium dividere debet, juxta dubii rationem, ita ut major pars ei tribuatur pro quo major stat probabilitas; æquitas enim postulat ut in dubio innocens re, ad quam forsitan jus habet, totaliter non careat: similiter injustum esset possessorem, etiam dubiæ fidei, re quæ forte ejus est omnino spoliari. Ergo.

Notandum est illum qui cum fide dubia cœpit possidere, ad totum vel ad partem eodem modo teneri quo possessor malæ fidei tenetur, id est, debet fructus quos percepit, etiamsi dominus eos non percepisset, et quos ipse non percepit, sed quos dominus percepisset, reddere, damnum reparare, etc. Ita *Sylvius*, *Billuart*, etc.

2º Si dubium aliquod ipsi jam possidenti superveniat, adhibere debet diligentiam proportionatam rei quam detinet, ut verum detegat dominum; si dominus detegatur, totum illi reddendum est; si vero, adhibita sufficienti diligentia, dubium remaneat, nec ulla spes illud excutiendi affulgeat, res pro ratione dubii dividenda est, quemadmodum, ubi de præscriptione, p. 43, diximus; in utroque enim casu possessor ut dubiæ fidei habendus est.

Et tamen cum res sit valde controversa, non damnamus eos qui arbitrantur possessorem in dubio rem habitam retinere posse, donec eam non esse suam agnoscat, secundum axioma: *Melior est conditio possidentis*, in utroque jure admissum.

Eadem applicanda essent principia illi qui, prius possessor malæ fidei, postea, propter veras, etsi insufficientes, rationes, adverteret rem forsitan esse suam, et sic possessor dubiæ fidei fieret.

Possessor dubiæ fidei semper debet esse paratus ad rem domino, si appareat, reddendam: si eam vendat, de dubio existente monere debet emptorem.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE INJUSTO DAMNIFICATORE.

Triplici modo aliquis damnum alteri inferre potest, scilicet 1° immediate et per se ipsum, v. g., aliquem propriis manibus occidendo; 2° mediate et per alios, v. g., jubendo, suadendo, etc., ut aliquis occidatur; 3° alterum a consecutione alicujus boni impediendo. De his in tribus sequentibus paragraphis agemus.

Certum est apud omnes eum qui damnum injuste alteri infert, sive immediate, sive mediate, sive quolibet alio modo illud totum reparare teneri, quia jus illius strictum lædit.

§ I. — De his qui immediate damnum alteri inferunt.

De contractuum violatione hic non agitur, nec ideo de obligatione damnum per hujusmodi violationem illatum reparandi.

Ut quis, extra contractum aut quasi-contractum, damnum quod intulit reparare teneatur, quatuor requiruntur conditiones, videlicet: 1° ut actio ipsius sit positiva, 2° injusta, 3° damni efficax, 4° theologice culpabilis.

1° *Debet esse positiva*; repugnat enim nos teneri extra contractum aut quasi-contractum, vel etiam extra casum

obligationis natura fundata, v. g., patris erga filios, resarcire damnum, præcise quia illud non impedivimus; alioquin jure naturali teneremur ex justitia bonum alterius procurare aut malum ejus avertere: hoc autem nemo admittet, cum omnes homines jure naturali sint æquales, et a se invicem independentes: ergo.

2° *Debet esse injusta*; damnum enim proximo illatum reparare non tenemur, nisi quatenus jus illius strictum fuit violatum: at jus strictum proximi per actionem justam violari non potest; alioquin darentur jura hinc et inde opposita, quod manifeste repugnat: ergo.

Hinc ad constituendam obligationem damnum reparandi, non sufficit nec requiritur *causa sine qua non*, quæ de facto in actionem damnificativam non influxit; non *causa mere occasionalis*, quæ ad inferendum damnum nullo modo cooperatur; nec *causa accidentalis*, quæ damnum secuturum non habuit in mente, nec prævidere potuit saltem ut probabile.

3° *Debet esse damni efficax*; nam ut quis damnum reparare teneatur, non sufficit illum intentionem nocendi habuisse, sed insuper requiritur ut damnum revera intulerit, siquidem jus alterius per solam intentionem, absque externo opere, non violatur. Ergo.

4° *Debet esse theologice culpabilis*; superius enim probavimus nullam esse obligationem, extra contractum, reparandi damnum absque culpa theologica illatum. Ergo.

Quæritur 1° quid faciendum sit in dubio an actio fuerit damnificativa vel non.

Notandum est triplex concipi posse hujusmodi dubium; vel enim 1° plures personæ posuerunt sigillatim causam injustam per se ad damnum inferendum sufficientem, et dubitatur quænam ex illis causis damnum intulerit, v. g., quatuor viri commercium habuerunt cum eadem muliere conjugata, et dubium est cujus sit proles ex commercio nata; vel 2° duæ personæ posuerunt separatim causam per se sufficientem ad damnum inferendum; una fuit justa et altera fuit injusta, v. g.: maritus et adulter commer-